

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput II. Item de anima suae quod animae beatorum omnia verba quae  
pro eis leguntur deo offerunt.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

desiderium suum usque in finem mundi, ita quod si possibile esset, orationibus, desideriiis, laboribus et sufferentia sua omnibus hominibus et animabus purgandis pro Dei amore et honore vivere et proficere vellet, sine dubio Deus votum suum pro facto acceptabit.

## CAPUT II.

ITEM DE ANIMA SORORIS SUÆ ET QUOD ANIMÆ BEATORUM OMNIA  
VERBĀ QUÆ PRO EIS LEGUNTUR DEO OFFERUNT.

**A**LIA vice dum Conventus communicaret, vidit animam ejusdem sororis suæ, inæstimabili pulchritudine stantem a dextris Dei, et quot personæ communicabant, tot dulcia ipsi Dominus oscula infigebat; in quo ejus speciale meritum exprimebatur, quod habet ex eo quod tam fideliter a Sororibus exigebat ut sæpius et libenter communicarent. Hoc dum ista admirans et congratulans videret, desiderabat etiam scire si aliquod meritum sacerdos ex hoc lucraretur, quod accedentibus Dominici corporis sacramentum ministraret. Ad quod Dominus respondit: « Sicut miles quispiam ditaretur, si regis sui unicum filium in ulnis suis ad singulos principes portaret, et quilibet eorum filio regis centum marcas offerret, et rex omnia hæc militi cum filio revertenti donaret: sic meritum sacerdotis augetur, qui cum devotione et gratulatione fidelibus Christi corporis sacramentum ministrat. »

Post hæc ad sororem suam dixit: « Dic mihi, soror carissima, quid tibi proficit, cum legimus pro te Historiam sanctæ Trinitatis aut aliam quamcumque orationem? » Respondit: « Suscipio singula verba de ore vestro in modum rosarum

Commenda-  
tur  
communio  
pro  
defunctis.

Ex charitate  
orationes  
fiant pro  
defunctis.

quas dilecto meo cum gaudio offero. » Ostenditque ei in pallio suo rosas pulcherrimas, in medio aureum folium habentes, et ait : « Hoc aureum folium cordis est folium, scilicet charitatis, unde orationis effectus procedit; quia ex charitate, non ex debito, talia mihi offertis. » Tunc illa : « Quid vero de iis fit quæ Sanctis offerimus? » Respondit : « Singuli sibi oblata cum gratitudine similiter accipiunt, et cum gaudio Deo regi suo præsentant; etiam si omnibus Sanctis unum tantum dicas *Pater noster*, ea intentione quod si posses, unicuique unum sigillatim legeres, tunc omnes illud singuli totum accipiunt, ac si cuilibet dixeris sigillatim. »

### CAPUT III.

#### DE ANIMA SORORIS MECHTILDIS.

**D**UM felicis memoriæ Soror M. defuncta esset, anima ejus taliter est ipsi revelata. Vidit ergo animam ejus in specie virginis pulcherrimæ, amictam viridi sindone, coronam auream habentem in capite, et stantem in medio multitudinis Virginum et Sanctorum qui eam nimio inter se ducebant affectu; et agnovit in spiritu quod esset in expectatione glorificationis suæ, quæ foret perficienda illa hora cum ad Missam sacrosancta offerretur hostia. Tunc seipsum Dominus quodam speciali modo dare vellet animæ ejus, pro eo quod aliquanto tempore infirmitate corporis fuerat impedita Christi corporis percipere sacramenta.

Deinde cum cantaretur Offertorium, *Domine Jesu Christe*, et nullus adesset qui pro illa pauperula oblationem faceret,